



Db. 15



34.6.
3P
Quod Deus ter. Opt. Max. fortunare velit.

PROGRAMMA

Ad

JURIS STUDIO

SOS ET FAVTORES IN HAC

INCLITA ACADEMIA FRANCOFUR-
DIANA.

a

BENEDICTO STYMMELIO;

J.U.D. Institutionum Imperialium

Profess. Publ.

Cum

Iter at am praelectionem Institutionem

auspicaturus esset

Ad quam studiosam juventutem

benevolè invitat.

P. P.

Francofurti

ANNO CHRISTI

M. DC. XXIII.

Literis

HARTMANNIANIS.

240.

Quod Deus fecit. Oportet Max. for.

PROGRAMMA

TURIS STUDIO

SOS ET FAVTORES IN HAC

INSTITUTA ACADEMIA FRANCOG. TUR.

BENEDICTO STYMMELIO

J. U. D. Institutionum Imperialium

Prof. Pub. Jur. Pr. Tur. Tur.

Ad quam studium juvenis

tem benevole invit.

Francog. Tur.

ANNO CHRISTI

MDC. XXIII.

HARTMANNUS



Ex libris juris civilis, quibus solis nos uti in judican-
do & respondendo Imperator Justinianus voluit,
libello Institutionum Jacobus Cujac. Gallorum Ju-
risconsultorum Præstantissimus, nullum comptio-
rem esse asseverat. Est quidem hic liber nitidissimus, ordi-
ne & arte insigni conditus. Definitionum enim & divisio-
num elegantissimarum plena sunt omnia, juris veteris à
jure novo separatio ibi est perspicua, sermonis puritas
maximè laudanda. In eo tamen continentur multa, quæ
nō tam facilè, ut quidam arbitrantur, Interpretum opera
carere possunt. Inter quæ referri potest id, quod dicitur:
jus publicū est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Quid
sit status, ne attingit quidem Imperator. Qui, ut in quaq;
civitate rectè intelligatur, despiciendum esse, monet Jo-
hannes Bodinus, quæ personæ in republica summum im-
perium & jura majestatis habeant. Ac si penes unum est
totius reipub. summa, Monarchiam appellamus: si penes
universos Democratiam: si penes paucos Aristocratiam.
Status igitur summum imperium significat, quod Galli
suverenitatem, Itali Signoriam vocant. Ad statum hunc
tuendum, *jus publicum* spectat, quod idèò publicum voca-
tur, quia publicis usibus sit destinatum, & ad civitatem u-
niversam pertineat. Sint enim in omni civitate, quædā pu-
blica necesse est: cū ne cogitatione quidem fingi impe-
rium possit, quod nihil publicum habeat. Itaque Cicero
publici juris moderatorem admonet, ut id quod publicū
est, præcipuè curet, eique hanc legem ponit: Salus populi
suprema lex esto. Quare ut belli duci victoria, sic publici
juris moderatori, beata civium vitā proposita esse debet,
ut opibus firma, copiis locuples, virtute honesta sit civi-
tas, ita ut ad honestatem, verumq; decus omnia dirigantur.
Hujus juris tria præcipua objecta, in oratione publi-
ca.

ca, quæ in præliis in artem vocant, antea tractavi, atque ea,
quæ à scriptoribus antiqui Juris Rom. de his tradita sunt,
quasi per ihd computatig. Interea, de quibus dixi, referri
& in prælo est, quod dicit Imperator: *Ut nihil antiquitatis igno-*
ribus, sciendum est, olim duo testamentorum genera in u-
su fuisse: quorum altero in pace & otio utebantur, quod
calatis comitiis appellabant. altero, &c. Quibus verbis non
solum juris antiqui scientiam commendat, sed & repre-
hendere videtur eos, qui juris antiqui scientiam nihil ad
nos pertinere putant, ejusque inquisitionem ac cognitio-
nem pro supervacanea habent. Sanè in foro quidem jus
antiquum quiescere debet, ut vult Imp. in Constit. 2. C. de
Vet. jur. enucle. Sed hinc non sequitur, in scholis veras no-
vi & Justiniani juris interpretationes, ex repetita vetu-
statis memoria non esse assumendas. Porro & *comitiorum*
jura sciri à Jurisperito debere, monere videtur Imperator.
Publici enim juris Rom. cognitio in eo est posita, ut intel-
ligatur populi Ro. potestas. Maximè autem potestas po-
puli in decretis suis cõtinebatur. Quæ quoniam comitiis
peragebantur, idcirco *necessè est, ad jus publicum planè intelli-*
gendum, comitiorum rationem cognitam & perspectam habere.
Erant autem Comitia cœtus populi, quem magistratus le-
gitimè convocasset, ut aliquid suffragio suo vel juberet,
vel prohiberet. Eorū verò tria genera fuisse, curiata, cen-
turiata, & Tributa ex Car. Sigon. constat. Unde satis certū
est, calata comitia, quorum meminit Imp. aliud genus co-
mitiorum non constituisse, sed ad unum præcedentium
generum pertinuisse. Calandi enim verbum primis tem-
poribus adeò usitatum erat, ut etiam centuriatis comitiis
tribueretur; nam calari, est convocari, ait Gell lib. 15. c. 27.
Comitia verò populi cōgregatio. Quoniam igitur vocati
congregabantur, comitia calata sunt dicta. *ziii* Sed postea
cum

cum in usu esse desit hoc verbum, retentum est nomen,
calatorum comitorum in his tantum, quæ pro collegio
Pontificum habebantur, religionis causa, ut tradit Ni. Gr.
de Co. Ro. *Curia comitia*, Romulus, quem autorem comi-
tiorum Car. Sigon. vocat, in rempub. intulit, neque habe-
ri poterant, nisi à patriciis magistratibus. Hodie verò, cum
L. Regia populus principi omne imperium & potestatem
concesserit, nemo præter principem comitia habendi
jus habet. Sub Julio quidem Cæsare & Augusto adhuc fu-
isse comitia constat: verum non adeò libera, ut quæ non
populi, sed principis arbitrio fierent. At post imperium à
Tiberio initum, adeò desierunt fieri comitia, ut nunquam
postea, à sequentibus Imp. populo sint restituta: sed vel pe-
nes senatum Tiberii instituto manserint, vel planè in prin-
cipis potestate fuerint, id quod facile colligi potest ex l.
un. ff. de Ambitu. Inter causas curiatorum comitorum refer-
tur lex curiata, quæ ferri olim solebat, testamentis confir-
mandis, quo tempore calatis comitiis in cõcione fiebant.
Calata igitur comitia, quorum mentionem facit Iustinia-
nus, curiata fuerunt. Quia primis reipub. temporibus, qui-
bus in usu fuit hæc testamentorum condendorum ratio,
alia non erant comitia, quæ in urbe fierent, quam curiata.
At post Classes à Servio Tullio, sexto Romanorum Rege
institutas, duo cœperunt esse comitorum genera, curia-
ta & *centuriata*. Servius enim Tullius cum animadvertisset,
in curiatis comitiis, in quibus viritim suffragia fereban-
tur, vim omnem suffragiorum penes plebem & capite cen-
sos esse, iussit omnes Romanos æstimatas suas facultates
profiteri. Professione perfecta, hanc sapientissimam, ait
Dionys. Halicarn. reipublicæ gerendæ rationem instituit.
Populum omnem in sex classes distribuit. Classes autem
omnes in centum tres & nonaginta centurias. Atque in
clas.

classib, & centuriis describendis, census rationem sequutus est. Populo ita distributo, militum descriptionem per centuriarum divisionem faciebat, ac tributum ex censu, per easdē centurias imperabat. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, cum & pauciores essent, & in plures divisi centurias, plus de suis facultatibus in cōmune conferrent. Atque illo quidem impensarum onere divitibus imposito, ut ne id graviter ferrent, optimam rationem leniendæ indignationis commentus est. Effecit enim ut hi verè reipublicæ domini essent, & in proletariis ac capite census nulla propemodum vis esset. Illa autem quam divitibus dedit *dominatio fuit in comitiis*, quibus res maximæ à populo scisciebantur. De re igitur ad rempublicā spectante, quando volebat decernere, pro curiatis, quæ antea in usu fuerant, *centuriata comitia* convocabat. Atque primū quidem ad suffragium ineundum vocabat equites & centurias maximi census, in quibus erant octodecim equitū centuriæ, & peditū octoginta. Hæ octo & nonaginta centuriæ, quæ cæteras classes, reliquamque multitudinem omnem, tribus centuriis superabant, si convenissent, vincebant reliquas, omninoq; quid statuissent, obtinere oportebat. Ferè autem à prima Classe res peragebatur, rarò ad secundam & tertiam; ad quas nisi per dissensionem præcedentis classis descendebatur; rarissimè ad quartem classem perveniebatur. Atq; ita centuriata comitia in rēpubl. sunt introducta, in quib, sententiæ non viritim, ut in curiatis, sed ex numero centuriarum requirebantur, & ita vis omnis, ut ait Livius, penes primores civitatis erat. Cause habendorū comitorum centuriatorum tres erāt. Una erat creandorum majorum magistratuum. Atq; tunc consul rogabat populum, ut ex iis candidatis, quos tūc omnes nominatim appellabat, crearet populus quos vellet.

vellet. Neq; tamen ea nominatione necessitas impone-
batur populo, ut nō posset alios, quam candidatos elige-
re: sed libera suffragia relinquebantur, ut crearet quos
vellet. Altera causa erat legum ferēdarum: earum scilicet,
quæ per distinctionem plebiscitorū, leges apud Justinia-
num appellantur. Legis autem nomen etiam eam roga-
tionem complectitur, qua bellum juberetur à populo.
Quod apud Livium frequens esse animadvertit Ni. Gru.
ut populus lege jusse bellum dicatur. Tertia causa erat
judicii exercendi, si quis civium majestatis reus factus fu-
isset. Alia verò publica judicia, post cōstitutas quæstiones
perpetuas (quod Cicero in Bruto ait factum esse censori-
no & Manilio Coss.) Prætores exercebant. Qui non sem-
per accusatorem expectabant, sed in crimina publica ex
officio inquirebant. Licet enim in privatis criminibus,
judicium sine accusatore non procedat: in publica tamen
crimina, in quibus fama loco accusatoris est, magistratus
ultrò inquirere debet. Congruit enim, ait Ulp. l. C. bono &
gravi præsidi, curare ut quæta provincia sit, quam regit:
quod non difficilè obtinebit, si sollicitè agat, ut malis ho-
minibus civitas careat, eosque conquirat. nam & latrones
& fures conquirere debet: nisi officii sui velignarus, vel
oblitus censeari velit. Porro ut Regum tempore curiata &
centuriata comitia cœperunt, sic *Tributa comitia* Consulium
tempore, in rempub. sunt introducta. Nam ut Car. Sigon.
trahit, primum usurpari cœpta sunt A. Sempronio & M.
Minucio Coss. post Romam conditam an CCLXIII. insti-
tuto Sp. Sicinii Tribuni ple. In his comitiis nulla census
habebatur ratio, sed qui tribum habebat, ei jus suffragii
competebat: nisi puer vel senex esset sexagenarius. Unde
natum est proverbium, sexagenarium de ponte dejicien-
dum esse. Nam pontes fuerant, ad tempus in comitiis

con-

cōstructi, per quos populus suffragium laturus transiret.
Sexagenarii autem per pontes non transibant, quia à pu-
blicis negotiis liberi erant & ociosi, ut Car. Sigon. refert.
Atque de his plura, in dissertatione, quam primæ lectioni
præmittam, dicturus sum. Ex dictis duobus locis, ut & in-
finitis aliis, constare potest, Institutionum Imperialium
intelligentiam adeò facilem & expositam non esse, ut, se-
cundum quorundam opinionem, interpretis opera care-
re possint. Habet enim brevitatis: qualis est in primis toti-
us legitimæ scientiæ elementis; semper comitem obscu-
ritatem. Quomodo igitur tyrones, tam ampla jura, quæ
mira brevitatis & subtilitate, uno veluti fasce Institutio-
nibus quam brevissimè cōtracta sunt, intelligere possent,
nisi per interpretem enarrentur & explicentur? Absolutis
itaque quatuor Inst. libris, iterum illum interpretandi la-
borem suscipiam, & docendi rationem à Justiniano præ-
scriptam, quasi normam mihi proponam. Spe firmissima
fultus, Deum spem nostram, & refugium nostrum, in tur-
bulento hoc Imp. Rom. statu, pacem & tranquillitatem
nobis concessurum, de laqueo venantiū nos liberaturum
in viis nostris nos custoditurū ut brevi tempore Institu-
tiones Imperiales iterū explicare atq; absolvere possi-
mus. Ipsas lectiones ad diem 26. Junii auspiciabor,
ad quas frequenter continuandas, Juris stu-
diosos iterum atq; iterum invito.

Ja 666

ULB Halle
002 177 021

3



5b-700




Von 7

MC







Farbkarte #13

B.I.G.



pt. Max. for-
 C.
 M MA
 UDIO
 RES IN HAC
 FRANCOFUR.
 YMMELIO;
 Imperialium
Institutionem
ffet
 am juvenu
 nvitat.
 rti
 RISTI
 XIII.
 NIANIS.

34.6.
3P

